

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

nem concitat. Fertur Erichus Brunschwicensis parturite turbas in Saxonia, & Julius defectionem moliri à Christi religione, vexatur exactionibus populus, qui passim caristia annonæ laborat, quæ tandem quo sint evasura omnia, novit Dominus, quem par sit, pænitentia supplicationibusque ardentibus placare, quo virga furoris in nos extensa avertatur & mitigetur, sed quam securus degat mundus, & quam fortiter admonitiones Propheticas & aperta indignationis divinæ signa contemnat & negligat, res ipsa nimis liquiddè docet. Hæc scio, vir reverende & Charissime frater, mecum deploras, Nec desunt privata, quæ circa nos accidunt, unde sit perturbationis materia. Sed bene habet, quod spei nostræ anchoram in cælis fiximus, adjutorium nostrum in eo, qui fecit cælum & terram, in quo aquietemur, resignati ad ipsius voluntatem, idem donet, ut injunctam provinciam fideliter constanterque obeamus, sineque paulò post claudamus beato. De valetudine tua cupio certior fieri, & si quid ex Styria filius scripsit, desidero, scire, ut cognoscam, quæ sint Scholæ Græcensis auspicia, & quæ de orientalibus istis Ecclesiis spes, ac gratum feceris vehementer si vel per Dominum Erasmum filium ea de re ad me scribas. Wislandus cum laude Doctoralem lauream assecutus est, vir, ut apparet, excellenti ingenio & doctrina minimè vulgari, quem spero utilem operam Reipubl. ubicunque acturus est, navaturum esse, & futurum familiæ ornatissimæ ornamento. Bene vale in Christo JESU, Vir Reverende & conjunctissime frater, cum uxore totaque familia: Salutant te reverenter Coccius & Fieglinus, & Johannes Jacobus Grynæus. Scripsi Basil. 2. Junii, Anno 1574.

Tuus ut semper frater & amicus

S. Sulzerus.

CLXIX.

S Accepi tuas Montpelgardi, deploratrices calamitatum nostri constupratissimi seculi, cujus generis etiam meæ esse solent. Consolamur tamen nos, & misericordia Domini & promissionibus Ecclesiæ factis, quam non patietur penitus opprimi. Ludovicum Nassoviensem & Palatinum Christophorum negant interfectos, & quo magis gaudeo, famam esse falsam, de Julii Brunswicensis à vera religione defectionem. Nunc omnium animi erecti sunt, ad Regni Gallici statum, qualis sit futurus maximorum moliminum eventus. Alazonius, Regis defuncti frater junior, ab ordinibus Helveticis per Legatum postulat, ut ipsum legitimum fratris successorem, captivitate liberent, & in sedem regiam collocatum velint. Sed quid sit impetraturus,

rus, ignoratur. Montpelgardi superstructum est prioribus fundamentis, & fiunt progressus in vera doctrina, paucique supersunt, qui non omnia capita in solidum consequantur. Superest unus & alius, quibus injectum est frenum. Cæterum qui has perfert, D. Mattheus, ex Palatinatu exul, opus etiam habet tuo consilio & favore, cujus causam non est, ut enarrem, cum ipse copiose possit. Nobis certe, apud quos ultra semestre vixit, se adprobavit, ut alienissimum esse existimemus à crimine hæreseos Arianae, cujus est insimulatus. De Cæna vero Domini, quid sentiat, docet confessio, quam nobis exhibuit. Atque hoc magis nos miseret Viri boni, qui propter Palatinum illi opem ferre nequimus, sicut ex ipso intelliges. Speramus autem bonorum consilio, consolatione & ope, alicubi locum inventurum, ubi Christo serviens conquiescat. Commendamus eum tibi, eatenus, ut & tu cum ipso conferens de pietatis doctrina iudicium facere possis, & siquidem probeatur, ut erigas afflictum, ne desperatione absorbeatur. Scripsi de eodem ad D. Jacobum Andree, ad quem se conferet, si tu consulueris. Spe optima ducor, si viscera charitatis experiat vir ad factiones minime propensus, fore utilem Christi servum, & fratrem in sinceriore doctrina constantem. Sed vale in Christo Jesu, Vir reverende & frater intime. Scripsi Basil. Salvos jube uxorem, familiam, generos, & symmiltas meo, Cocci & Fuglini nomine. Basil. ult. Junii, an. 74.

D. Erasnum, amiciss. meum, saluum jubeo.

R. d.

totus ex animo

Sulcerus.

CLXIX.

S. D. Carissime compater.

Ἀδύνατοι ποτὴ τυχόντων ἕθερον πάντα καλῶς ποιεῖν: impossibile est multa simul & eademque omnia bene facere, inquit Xenophon. Id mihi domum reversorum aliis in rebus, tum verò etiam in literis scribendis accidit. Dum enim multis, quorum erga me benevolentia & fides, illustri aliquo testimonio, isthic & in reliquo itinere mihi perspecta est, qualicunque literarum officio, grati animi significationem declarare cupio, non possum diligentiam & curam in singulis epistolis convenientem adhibere. Sed te pro proximitate & singulari humanitate & candore tuo, breve etiam & impolitum epistolion non aspernaturum esse scio.

De Scholæ vestræ statu ex animo sollicitus sum, ἔνι καρφ. ἰσθλὸν κήματα σὺν δόο

R r r

θίσαν